



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

De mirabili clementia & mansuetudine B. V. Mariae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

admirare singularem hanc castitatem, & virginitatem in Dei matre, Domina & Magistra tua: admirare illam & exalta quantum potes, tum verbis, tum re ipsa: & ultra progrediens in tuis considerationibus, cōtemplare quomodo ipsa inter omnes maximè clemens & mitis sit.

INTER OMNES MITIS.

*De mirabili clementia & mansuetudine B. Virginis Mariae.*

CONSIDERATIO.



Singularis B. virginis Mariae puritas & castitas, evidens testimonium est mititatis & clementiae

illius. Nam si, ut S. Bernardus ait, carnis concupiscentiae clementiam & mansuetudinem impugnant: castitas utique quae carnis cupiditates reprimit, easdem defendit & conservat. Quando igitur, Anima Christiana, confessa es B. Mariam esse virginem singularem: ex eodem intelligere potuisti, illam etiam esse

*S. Bernardus  
serm. 44.  
in Cant.*

*B. virgo  
est mitissima*

*Cant. 2.*  
*6.*

se clementissimam, & benignissimam. Ipsa enim est columba illa de qua Salomon in canticis loquitur. Sicut enim columba candida est & sine felle: ita B. virgo Maria purissima est & omnis expers amaritudinis.

Sed hic aliquis forsitan obijciat plures alias fuisse virgines, ex quarum moribus satis patuit ipsas ornatas fuisse puritate & mansuetudine. Verum nemo inficias ire poterit, has easdem virtutes multo maiori cum perfectione in B. virgine resplenduisse quam in alijs. Et quidem puritatem illius præcedens consideratio satis apertè ac manifeste declarat. Mansuetudinem vero effectus, quos hic breuiter annotabimus, luce clarius demonstrabunt.

*S. Bernard.*  
*serm. 2. de*  
*conuers. S.*  
*Pauli.*

Quæ tamen vt melius ponderetur: aduerte secundum S. Bernardum, Mansuetudinem nostram triplici velut ariete pulsari, iniurijs verborum, damnis rerum, & corporis læsione. Quo supposito si oculos mentis tuæ in vitam B. virginis Mariæ

conij-

conijcias, reperies alium neminem præterquam filium eius gloriari posse quod eam in clementia & mansuetudine non dico superaue- rit, sed ne quidem ad æquauerit. Et ut hinc ordiar: Quando in Bethle- hem appulit, ut se iuxta Cæsaris edi- ctum præsentaret his qui describe- bant populum, aspice ut hæc virgo proxima puerperio vnigeniti Dei filij, ab hospiti- bus repellatur, & di- uertere cogatur in vile stabulum: considera an non insignem occasio- nem habeat molestè tantam iniuri- am sustinendi, & hospiti- bus chari- tatis defectum improperandi. Ma- gna profecto ei materia se offere- bat: at illa ne verbum quidem pro- tulit, sed in stabulum mente placida & tranquilla secedens, filium enixa est, quem vilibus pânaculis inuolu- tum præsepio imposuit.

Contemplare & alium casum ad tolerandum non paulò molestio- rem quam præcedentem. Herodes quærebat filium eius recens natum, ad necem, quam etiam ob causam

Ang-

*Matth. 2.  
B. virginis  
Maria mansuetudo de-  
monstratur.*

*LUC. 2.*

Angelus Iosephum in somnis admonuit vt assumpto puero & matre illius pergeret in Aegyptum: hoc est vt bona patriamque relinqueret, & in terram alienam proficisceretur. Iter erat longum & asperum, vix quicquam supererat eis ad id commodè peragendum. Quid autem in hoc rerum statu tenera virgo? Quid sancta mater inquit, cum contra omne fas filium ad necem perquiri cerneret? Quid? Noli putare, Anima pia, quod vel cogitauerit vnquam in Herodis crudelitatem inuehi, tantum abest vt ei malum aliquod imprecata fuerit: sed laudauit Deum in omnibus: & filiolum dulcissimum apprehendens, Iosephum sponsum secuta est: pergensque in Aegyptum ibi summa in egestate vitam traduxit, & postea iterum in patriam non sine labore ac fatigatione reuerfa est: nec tamen vllum vel minimum indignationis signum ostendit. Si clarius adhuc intelligere cupis incredibilem mansuetudinem & clementiam illius: vide quae

cum

cum patientia iniurias & calum-  
 as Iudæorum, quas carissimo filio  
 Iesu Christo, postquam ex Aegyp-  
 to reuertissent, affinxerunt, sustinu-  
 erit. Scribæ, Pharisei, legis Docto-  
 res, alijque Iesum appellabant nunc  
 voracem & Publicanorum amicū,  
 aliquando Samaritanum, Dæmoni- *Matth. 12.*  
 acum & Magum. Hæ iniuriæ atro-  
 ces erant, & ad B. Virginis matris e-  
 ius ignominiam redundabant. Et ta-  
 men nusquam legimus eam iniuri-  
 am iniuriæ rependisse: aut vel ad  
 modicum indignatam fuisse contra  
 illos qui his filium contumelijs pro-  
 scindebant. Sed contra potius eis  
 compassam esse, cum non ignoraret  
 quod sicut honor illius potius est,  
 qui honorem alteri exhibet, quam  
 qui honore afficitur, ita iniuriam  
 illius potius esse qui eam irrogat,  
 quam qui eam sustinet.

Si amplius adhuc benignitatem  
 & mansuetudinem illius intueri de-  
 sideras, contemplare quam placi-  
 do & constanti animo tolerauerit,  
 filium suum dilectissimum capi, li-  
 gari,

Matth. 26.

Marc. 14.

15.

Iob. 2.

Luc. 22. 23.

Joan. 18.

gari, a lapis cædi, flagellari, spinis coronari, cruci affigi, & crudelitateque ignominiosa morte medium inter duos latrones in crucem agi. Sathan ad Deum ait: quod *pellem propelle* daturus esset homo: indicare volens non satis esse ad probandam hominis patientiam & mansuetudinem si in bonis tantum exterioribus aduersitatis aliquid toleret, nisi etiam in proprio corpore cruciatus sustineat. Iam verò ad quem proximius pertinuit Christi passio quam ad B. virginem Mariam quis molestiarum & tormentorum plus sustinuit quam mater Salvatoris? Ego fateor martyres, & super omnes martyrem martyrum Iesum Christum plura perpessum fuisse, quam vel verbis exprimi vel intelligentia comprehendi possit. Quod etiam Christus de seipso testatur cum per Prophetam ait: *O vos omnes qui transitis per viam attendite in illud & videte, si est dolor sicut dolor me-* *pocal. signū us.* Audeo tamen asseuerare cum S. Bernardo, Mariam plusquam martyrem

S. Bernard.

in illud &

pocal. signū

magnum.

nes qui transitis per viam attendite  
 & videte, si est dolor sicut dolor me-  
 us. Audeo tamen asseuerare cum S.  
 Bernardo, Mariam plusquam mar-  
 tyrem

tyrem fuisse, in qua nimirum corpore & sensura passionis (qualē martyres sustinuerunt) excesserit compassionis effectus. Simeon istud ei *Luc. 2.* futurum prædixerat, quando B. virginis animam gladium pertransitorum, esse ait: quod verificatum fuit in Christi passione: nam spinæ ac flagella, quæ carnem filij eius cōciderunt, & dilaniarunt, clavi, quæ pedes & manus eius transfoderūt dilaniabant, & transfigebant cor & animam illius. Plus adhuc dicam: ipsam afflictionem quandam sensisse à qua filius eius liber fuit. Nam vti *S. Bernard.* S. Bernardus, paulo ante citatus ait: Christi planè non attigit animā crudelis lancea quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed Mariæ utique animam pertransiuit. Christi nimirum anima iam ibi non erat, sed Mariæ planè inde nequibat auelli. Ipsius ergo animam pertransiuit vis doloris. Si præterea parumper subsistere placet, atque audire blasphemias, probra, atque contumelias,



*Inc. 23.*

*Matth 27.  
Inc. 23.*

melias quas Iudæi, gentiles, ac ipsi etiam qui cum Christo crucifixi erant latrones per summam indignitatem in filium euomebant, audies utique & intueberis, quam ingens B. virgini lamentandi & conquerendi daretur occasio: sed illa tantum abest ut propter hæc vel modicum aduersus eos qui talia perpetrabant, exarserit, ut etiam pro ijs qui se offendebant precata fuerit, & exemplo filij edocta, dixerit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Annon igitur, Anima fidelis, incredibilis hinc liquido patet clementia & mansuetudo B. virginis? Creaturæ sensus expertes indignabantur: coelum caligine offundebatur: aer obscurabatur: lapides dissiliabant: velum templi discindebatur, ex harum rerum quæ Christo irrogabantur indignitate: at B. virgo Maria in summa tranquillitate, pace ac requie intrinseca & extrinseca perstitit, bonum pro malo & benedictionem pro maledictione rependens. Quid ergo restat nisi ut  
animæ

animaduersa in B. virgine tam infir-  
 gni mansuetudine ac mititate illam  
 totis viribus imitari, atq; exprime-  
 re desideres? Enitere igitur pro vi-  
 rili, vt hoc in te desiderium susci-  
 tes, atque vt voti tui compos effici-  
 aris, secundum consuetudinem tuā,  
 auxilium atque intercessionem e-  
 iusdem B. virginis implora dicēdo:

NOS CVLPIS SOLVTOS

*Mansuetudinem & mititatem, ira  
 atque vindicta tempestates se-  
 dare.*

CONSIDERATIO.



I AM ante dixi, Animā  
 Christiana, iracundiam  
 tuas in mari huius mū-  
 li tempestates ac pro-  
 cellas excitare. Quod veritati valdē  
 consentaneum est, nam ab hac, vt S.  
 Papa Gregorius annotauit, oriun-  
 tur rixæ, tumor mentis, contume-  
 liæ, clamor, indignatio, blasphe-  
 miæ. Homo qui iracundia efferues-  
 cit, & vindictæ spiritu exagitur,  
 iudicium rationis omnino perdit:

S. Gregor.  
 3. moral.  
 c. 31.